



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De diuinationibus. Quæstio 95.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

homines non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem, seu virtutem, diuinitatis cultum exhibuerunt. Vnde dicitur Sapientia 13. Neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citacum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam, rectores orbis terrarum, deos putauerunt. Alia autem causa idololatriæ fuit consummatoria ex parte demonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo. Vnde & in Psal. 95. dicitur, Omnes dii gentium damonia.

In co. ar. Ad primum ergo dicendum, quod causa dispositiua idololatriæ fuit ex parte hominis naturæ defectus, vel per ignorantiam intellectus, vel per inordinationem affectus, vt dictum * est. Et hoc etiam ad culpam pertinet. Dicitur autem idololatria esse causa, initium, & finis omnis peccati: quia non est aliquid genus peccati, quod interdum idololatriam non producat, vel expressè inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modum initij, vel per modum finis, in quantum peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum: sicut occisiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia huiusmodi. Et tamen aliqua peccata possunt idololatriam præcedere, quæ ad ipsam hominem disponunt.

Ad secundum dicendum, quod in prima ætate non fuit idololatria, propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigeat cognitio vniuersus Dei in mente hominum. In sexta autem ætate idololatria est exclusa per virtutem, & doctrinam Christi, qui de diabolo triumphauit.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de causa consummatoria idololatriæ.

QVÆST. XCV.

De superstitione diuinatiua, in octo articulos diuisa.
Postea considerandum est de superstitione diuinatiua.

¶ Et

- ¶ Et circa hoc quærentur octo .
- ¶ Primo, utrum diuinitio sit peccatum ?
- ¶ Secundo, utrum sit species superstitionis ?
- ¶ Tertio, de speciebus diuinationis .
- ¶ Quarto, de diuinatione quæ fit per dæmones .
- ¶ Quinto, de diuinatione quæ fit per astra .
- ¶ Sexto, de diuinatione quæ fit per somnia .
- ¶ Septimo, de diuinatione quæ fit per auguria, & alias huiusmodi obseruationes .
- ¶ Octauo, de diuinatione quæ fit per sortes .

ARTIC. I.

Utrum diuinitio sit peccatum ?

505

AD primum sic proceditur . Videtur, quòd diuinitio non sit peccatum . Diuinitio enim ab aliquo diuino nominatur . Sed ea quæ sunt diuina, magis ad sanctitatem pertinent, quàm ad peccatum . Ergo videtur quòd diuinitio non sit peccatum .

2.d. 15 q.
1. a. 3. ad
4. Et 3. cõ
tra c. 15 q.
co. 5. Et

¶ 2 Præterea, August. dicit * in li. de lib. arb. Quis audeat dicere disciplinam esse malum ? Et iterum, Nullo modo dixerim aliquam intelligentiam malam esse posse . Sed aliquæ artes sunt diuinitiuæ, ut patet per Philosophum in * lib. de memoria. Videtur etiam ipsa diuinitio ad aliquam intelligentiam veritatis pertinere . Ergo videtur, quòd diuinitio non sit peccatum .

Isa. 3. 16.
4. prin.
* l. s. c. 1.
10. 1.
parum a
prin lib.
10. 2.

¶ 3 Præterea, Naturalis inclinatio non est ad aliquod malum : quia natura non inclinatur nisi ad simile sibi . Sed ex naturali inclinatione homines sollicitantur prænoscesse futuros euentus : quod pertinet ad diuinationem . Ergo diuinitio non est peccatum .

SEd contra est, quòd dicitur Deutero. 18. Non sit qui pythones consulat, neque diuinos . Et in decretis 26. * quæst. 5. dicitur, Qui diuinationes expetunt, sub regula quinquennij iaceant secundum gradus penitentia diffinitos .

26. q. 5. c.
Qui diuinationes.

RESPONDEO dicendum, quòd nomine diuinationis intelligitur quædam prænuntiatio futurorum . Futura autem dupliciter prænoscesse possunt . Vno quidem

c. 1. extra
de sortilegis.

Et 3 modo

modo in suis causis. Alio modo in seipsis. Causæ autem futurorum tripliciter se habent. Quædam enim producunt ex necessitate, & semper suos effectus. Et huiusmodi effectus futuri per certitudinem prænosci, & prænunciari possunt ex consideratione suarum causarum: sicut astrologi prænuntiant eclipses futuras. Quædam verò causæ producunt suos effectus non ex necessitate & semper, sed ut in pluribus: raro tamen deficiunt. Et per huiusmodi causas possunt prænosci effectus futuri, non quidem per certitudinem, sed per quamdam coniecturam: sicut astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere, & prænunciare possunt de pluuijs, & siccitatibus; & medici de sanitate, vel morte. Quædam verò causæ sunt, quæ si secundum se considerentur, se habent ad vtrumlibet: quod præcipue videtur de potentijs rationalibus, quæ se habent ad opposita, secundum * Philosophum. Et tales effectus, vel etiam si qui effectus ut in paucioribus casu accidunt ex naturalibus causis, per considerationem causarum prænosci non possunt: quia eorum causæ non habent inclinationem determinatam ad huiusmodi effectus. Et ideo effectus huiusmodi prænosci non possunt, nisi in seipsis considerentur. Homines autem in seipsis huiusmodi effectus considerare possunt solum, dū sunt præsentis: sicut cum homo videt sortem currere, vel ambulare. Sed considerare huiusmodi in seipsis, antequam fiant, est Dei proprium: qui solus in sua æternitate videt ea quæ futura sunt, quasi præsentia, ut in primo habitum * est. Unde dicitur Isaia 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos. Si quis ergo huiusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo reuelante, manifeste usurpat sibi quod Dei est. Et ex hoc aliqui diuini dicuntur. Unde dicit Isido. in lib. * Etym. Diuini dicuntur, quasi Deo pleni. Diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentæ hominibus futura coniectant. Diuinitio ergo non dicitur, si quis præ-

l. 9. Met.
lex. 3. &
18. l. 3.

q. 14. ar.
13. & 1.
57. ar. 3.
& q. 86.
ar. 4.
l. 8. c. 9. a
me. Et ve
fertur 26
q. 4. c. lgi
tur, circa
prin.

nuntiet ea quæ ex necessitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione prænosci possunt; neque etiam si quis futura alia contingentia, Deo reuelante, cognoscat. Tunc enim non ipse diuinat, id est, quod diuinum est, facit: sed magis quod diuinum est, suscipit. Tunc autem solû dicitur diuinare, quando sibi indebito modo vsurpat prænuntiationem futurorum euentuum. Hoc autem constat esse peccatum. Vnde diuinatio semper est peccatum. Et propter hoc Hieron.* dicit super Micheam, quod diuinatio semper in malam partem accipitur.

Ad primum ergo dicendum, quod diuinatio non dicitur ab ordinata participatione alicuius diuini; sed ab indebita vsurpatione, vt dictum * est.

Ad secundum dicendum, quod artes quædam sunt ad prænosendum futuros euentus, qui ex necessitate, vel frequenter proueniunt: quæ ad diuinationem non pertinent. Sed ad alios futuros euentus cognoscendos non sunt aliquæ veræ artes, seu disciplinæ; sed fallaces & vanæ, ex deceptione demonum introductæ, vt dicit Aug. in 21. * de Ciuit. Dei.

Ad tertium dicendum, quod homo habet naturalem inclinationem ad cognoscendum futura, secundum modum humanum, non autem secundum indebitum diuinationis modum.

ARTIC. II.

Utrum diuinatio sit species superstitionis?

506

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod diuinatio non sit species superstitionis. Idem enim non potest esse species diuersorum generum. Sed diuinatio videtur esse species curiositatis, vt Aug. * dicit in lib. de Vera religione. Ergo videtur, quod non sit species superstitionis.

Inf. a. 2.
eo princ.
Et 2 d. 25
q. 1. a. 2.
ad 4. Et
3. con. c.
154. c. 4.
c. 5.
* c. 38. et
pra 10. 1.

¶ 2 Præterea, Sicut religio est cultus debitus, ita superstitio est cultus indebitus. Sed diuinatio non videtur ad aliquem cultum indebitum pertinere. Ergo diuinatio non pertinet ad superstitionem.

¶ 3 Præterea, Superstitio religioni opponitur. Sed

Ec 4 in

d me. cõ-
ment. in
c. 3. Mi-
chea, t. 6.

* In cor.
art.

l. 21. c. 16
c. ca. 6.
10. 5.

in vera religione non inuenitur aliquid diuinationi per contrarium respondens . Ergo diuinatio non est species superstitionis .

*Ho. 16. in
Nume. 2
me. 1. 1.*

SED contra est , quod Origenes dicit * in Periar-
chon , Est quædam operatio dæmonum in ministerio
præscientiæ : quæ artibus quibusdã ab his qui se dæ-
monibus mancipauerunt ; nunc per sortes , nunc per
auguria , nunc ex contemplatione umbrarum , compre-
hendi videtur . Hac autem omnia operatione dæmo-
num fieri non dubito . Sed vt Aug dicit * in 2. de doct.
Christ. Quicquid procedit ex societate dæmonum &
hominum , supersticiosum est . Ergo diuinatio est spe-
cies superstitionis .

*l. 2 c. 23.
to. 3.*

*q. 92 a. 1.
q. 92
at. 1.*

RESPONDEO dicendum , quod sicut supra di-
ctum * est , superstitio importat indebitum cultum di-
uinitatis . Ad cultum autem Dei pertinet aliquid du-
pliciter . Vno modo cum aliquid Deo offertur , vel sa-
crificium , vel oblatio , vel aliquid huiusmodi . Alio
modo , cum aliquid diuinum assumitur , sicut supra di-
ctum * est de iuramento . Et ideo ad superstitionem ,
pertinet non solum cum sacrificium dæmonibus of-
fertur per idololatriam , sed etiam cum aliquis assu-
mit auxilium dæmonum ad aliquid faciendum , vel
cognoscendum . Omnis autem diuinatio ex operatio-
ne dæmonum prouenit , vel quia expressè dæmones
inuocantur ad futura manifestanda , vel quia dæmones
ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum , vt men-
tes hominum implicent vanitate . De qua vanitate di-
citur in Psal. 39 . Non respexit in vanitates , & insanias
falsas . Vana autem inquisitio futurorum est , quando
aliquis futurum prænoscere tentat , vnde prænosci non
potest . Manifestum est ergo quod diuinatio species
superstitionis est .

*q. 59. in
præf. 2.
5. ad 1.*

Ad primum ergo dicendum , quod diuinatio per-
tinet ad curiositatem quantum ad finem incertum ,
qui est præcognitio futurorum . Sed pertinet ad su-
perstitionem , quantum ad modum operationis .

Ad secundum dicendum , quod huiusmodi diuinatio per-

pertinet ad cultum dæmonum, in quantum aliquis
 utitur quodam pacto tacito, vel expresso cum dæ-
 monibus.

Ad tertium dicendum, quod in noua lege mens
 hominis arceatur à temporalium sollicitudine. Et ideo
 non est in noua lege aliquid institutum ad præcogni-
 tionem futurorum euentuum de temporalibus rebus.
 In veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant
 cōsultationes de futuris ad religionem pertinentibus.
 Unde dicitur Isai. 8. Et cum dixerint ad vos, Querite
 à Pythonibus, & à diuinis qui strident in incantatio-
 nibus suis: subdit quasi responsonem, Numquid non
 populus à Deo suo requiret visionem pro viuis &
 mortuis? Fuerunt tamen in nouo testamento etiam
 aliqui prophetiæ spiritum habentes, qui multa de fu-
 turis euentibus prædixerunt.

ARTIC. III.

*Virum sit determinare plures diuinationis
 species?*

507

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod non
 sit determinare plures diuinationis species. Vbi
 enim est vna ratio peccandi, non videntur plures esse
 peccati species. Sed in omni diuinatione est vna ra-
 tio peccandi: quia scilicet utitur aliquis pacto dæmo-
 num ad cognoscendum futura. Ergo diuinationis non
 sunt plures species.

Opus. 25.
c. 4.

¶ 2 Præterea, Actus humanus speciem sortitur ex
 fine, ut supra habitum est*. Sed omnis diuinatione
 ordinatur ad vnum finem, scilicet ad prænuntiatio-
 nem futurorum. Ergo omnis diuinatione est vnus
 speciei.

9. 12. 2. 2
9. 1. 2. 9.
1. 47. 3.

¶ 3 Præterea, Signa non diuersificant speciem
 peccati. Siue enim aliquis detrahat verbis, vel scri-
 pto, vel nutu, est eadem species peccati. Sed diuina-
 tiones non videntur differre nisi secundum diuersa si-
 gna, ex quibus accipitur præcognitio futurorum. Ergo
 non sunt diuersæ diuinationis species.

¶ SED contra est, quod Isidorus in* lib. Etymo- lib. 8. c. 9.
 log.

log. enumerat diuersas species diuinationis.

ar. prac. RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est *,
 * *la peti* omnis diuinatio uenit ad præcognitionem futuri even-
 * *tione* tus aliquo dæmonum consilio vel * auxilio. Quod
 quidem vel expressè imploratur, vel præter inten-
 tionem hominis se occultè dæmon ingerit ad præ-

q. 57. s. 3

nunciandum futura quædam, quæ hominibus sunt
 ignota, eis autem cognita per modos de quibus in
 primo dictum est *. Dæmones autem expressè in-
 uocati, solent futura prænuntiare multipliciter.
 Quandoque quidem præstigiolis quibusdam appari-
 tionibus se aspectui & auditui hominum ingeren-
 tes, ad prænunciandum futura. Et hæc species vo-
 catur præstigium, ex eo quod oculi hominum per-
 streinguntur. Quandoque autem per somnia: & hæc
 vocatur diuinatio somniorum. Quandoque uerò
 per mortuorum aliquorum apparitionem, vel lo-
 cutionem. Et hæc species vocatur necromantia:

li. 8. c. 9.

*parū an-
te med.*

quia ut dicit Isidorus in lib. Etymolog. * necrom-
 antia mortuum, mantia uerò diuinatio nuncupatur:
 quia quibusdam præcantationibus, adhibito sangui-
 ne, videntur resuscitati mortui diuinare, & ad inter-
 rogata respondere. Quandoque uerò futura prænun-
 tiant, per homines uiuos, sicut in arreptitijs patet.
 Et hæc est diuinatio per Pythones. Et ut Isidorus
 dicit *, Pythones à Pythone Apolline sunt dicti, qui
 dicebatur esse auctor diuinandi. Quandoque uerò
 futura prænuntiant per aliquas figuras vel signa,
 quæ in rebus inanimatis apparent: quæ quidem si
 appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno,
 vel ferro, vel lapide polico, vocatur geomantia;
 si autem in aqua, hydromantia; si autem in aere,
 aeromantia; si autem in igne, pyromantia; si autem
 in visceribus animalium immolatorum in aris dæmo-
 num, vocatur haruspicium.

li. 8. Ety.

c. 9. a me

dio.

Diuinatio autem quæ fit absque expressa dæmonum
 inuocatione, in duo genera diuiditur. Quorum primū
 est, quando ad prænosendum futura aliquid confide-
 ramus

ramus in dispositionibus aliquarum rerum . Et si quidem aliquis conetur futura prænoscere ex consideratione situs & motus syderum, hoc pertineret ad astrologos: qui & genethliaci dicuntur, propter natalium considerationes dierum . Si verò per motus, vel voces auium, seu quorumcumque animalium, siue per sternutationes hominum, vel membrorum factus: hoc pertinet generaliter ad augurium, quod dicitur à garritu auium, sicut auspiciū ab inspectione auium . Quorum primum pertinet ad aures, secundam ad oculos . In auibus enim huiusmodi præcipuè considerari solent . Si verò huiusmodi consideratio fiat circa verba hominum absque intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum quod vult prænoscere, hoc vocatur omen . Et sicut Valerius Maximus dicit *, Ominum observatio aliquo contactu religionis innexa est: quoniam non fortuito motu, sed diuina prouidentia constare creditur . Quæ fecit, vt Romanis deliberantibus vtrum ad alium locum migrarent, fortè eo tempore centurio quidam exclamaret, Signifer statue signum; hic optimè manebimus . Quam vocem auditam pro omine acceperunt, transeundi consilium omittentes . Si autem considerentur aliquæ dispositiones figurarum, in aliquibus corporibus visui occurrentes: erit alia diuinationis species . Nam ex lineamentis manus consideratis, diuinatio sumpta, chiromantia vocatur, quasi diuinatio manus . Chir enim Græcè dicitur manus . Diuinatio verò ex quibusdam signis in spatula alicuius animalis apparentibus, spatulamantia vocatur .

li. 4. c. 5.
in prin.

Ad secundam autem diuinationis genus, quod est sine expressa dæmonum inuocatione, pertinet diuinatio, quæ fit ex consideratione eorum quæ eueniunt ex quibusdam, quæ ab hominibus serio fiunt, ad aliquid occultum inquirendum: siue per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem geomantia; siue per considerationem figurarum, quæ pro-

ueniunt

veniunt ex plumbo liquefacto in aqua proiecto, siue ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis, in occulto repositis, dum consideratur quis quam accipiat; vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, quis maiorem, vel minorem accipiat; vel taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat; vel etiam dum consideratur, quid aperiendi librum occurrat: quæ omnia sortium nomen habent.

Sic ergo patet triplex esse diuinationis genus: quorum primum est per manifestam demonum inuocationem, quod pertinet ad necromanticos: secundum autem est per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures: tertium est, dum facimus aliquid, vt nobis manifestetur a liquo occultum, quod pertinet ad sortes. Sub quolibet autem horum multa continentur, vt patet ex dictis.

In corp.
art.

Ad primum ergo dicendum, quod in omnibus prædictis est eadem generalis ratio peccandi, sed non eadem specialis. Multo enim grauius est dæmones inuocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit vt se dæmones ingerant.

Ad secundum dicendum, quod cognitio futurorum vel occultorum est vltimus finis, ex quo sumitur generalis ratio diuinationis. Distinguuntur autem diuersæ species secundum propria obiecta, siue materias, prout scilicet in diuersis rebus occultorum cognitio consideratur.

Ad tertium dicendum, quod res quas diuinantes attendunt, considerantur ab eis, non sicut signa, quibus expriment quod iam sciunt, sicut accidit in detractione; sed sicut principia cognoscendi. Manifestum est autem quod diuersitas principiorum diuersificat speciem, etiam in scientijs demonstratiuis.

Utrum diuinitio, quæ fit per inuocationes dæmonum, sit illicita?

508
*Inf. q. 96
ar. 1. cor.
Et 2. con-
tra cas. 4
col. 5.*

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod diuinitio quæ fit per inuocationes dæmonum, non sit illicita. Christus enim nihil illicitum commisit, secundum illud primæ Petri 2. Qui peccatum non fecit. Sed Dominus à dæmone interrogauit, Quod tibi nomen est? Qui respondit, Legio: multi enim sumus: ut habetur Marci 5. Ergo videtur, quod liceat à dæmonibus aliquid occultum interrogare.

¶ 2 Præterea, Sanctorum animæ non fauent illicitè interrogantibus. Sed Sauli interroganti de euentu futuri belli à muliere habente spiritum Pythonis, apparuit Samuel, & ei futurum euentum prædixit, ut legitur 1. Reg. 28. Ergo diuinitio quæ fit per interrogationem à dæmonibus, non est illicita.

¶ 3 Præterea, Licitum esse videtur veritatem ab aliquo sciens inquirere, quam utile est scire. Sed quandoque utile est scire aliqua occulta, quæ per dæmones sciri possunt: sicut apparet in inuentione furtorum. Ergo diuinitio, quæ fit per inuocationem dæmonum, non est illicita.

SED contra est, quod dicitur Deuteron. 18. Non inueniatur in te qui ariolos sciscietur, neque Pythones consulat.

RESPONDEO dicendum, quod omnis diuinitio, quæ fit per inuocationes dæmonum, est illicita duplici ratione. Quarum prima sumitur ex parte principij diuinationis, quod scilicet est pactum expressè cum dæmone initum per ipsam dæmonis inuocationem. Et hoc est omnino illicitum. Vnde contra quosdam dicitur Isai. 28. Dixistis, percussimus fedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Et adhuc grauius esset, si sacrificium, vel reuerentia dæmoni inuocato exhiberetur. Secunda verò ratio sumitur ex parte futuri euentus. Dæmon enim qui

*Cōstitut.
Sexti p. 1.
pa. 1. in-
cip. Celi,
et terra
creator.*

qui intendit perditionem hominum ex huiusmodi suis responsis, etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quòd ei credatur: & sic intendit perducere in aliquid quod sit salutis humanæ nociuum. Vnde Athanasius exponens illud quod habetur * Luc. 4. Increpauit illum dicens, Obmutesce: dicit, Quamuis vera fateretur dæmon, compescebat tamen Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, ut nos etiam assuefaciat ne curemus de talibus, etsi vera loqui videatur. Nefas enim est, ut cum adsit nobis scriptura diuina, à diabolo instruamur.

*Id Chry.
concione
2. de La-
zaro à
me. 10.2.
Et Theo.
etiã Ma.
1. 9. Lu.
4.*

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Beda dicit *, Luc. 8. Non velut inscius dominus inquit, sed vt confessa peste, quam tolerabat, virtus curantis gravior emicaret. Aliud autem est inquirere aliquid à dæmone sponte occurrente, quòd quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando diuina virtute potest compelli ad vera dicenda: & aliud est dæmonem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso.

** lib. 3. in
Lu. c. 3. 2.
secundum
ordinem
Beda, 10.
2.*

Ad secundum dicendum, quòd sicut August. * dicit ad Simplicianum, Non est absurdum credere aliqua dispensatione permissum fuisse, vt non dominante arte Magica vel potentia, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam, & Saulem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus. Vel non verè spiritus Samuelis à requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma, vel illusio imaginaria, diaboli machinationibus facta: quam scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines, rerum suarum nominibus appellari.

*hi. 2. q. 3.
inter pri-
cipiū, &
me. 10.4.*

Ad tertium dicendum, quòd nulla utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per dæmonum inuocationem.

Utrum diuinitio quæ fit per astra, sit illicita?

509

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod diuinitio quæ fit per astra, non sit illicita. Licitum enim est ex consideratione causarum prænuntiare effectus: sicut Medici ex dispositione ægritudinis prænuntiant mortem. Sed corpora cælestia sunt causarum quæ fiunt in hoc mundo, ut etiam Dionysius dicit 4. cap. de Diuin. nom. Ergo diuinitio quæ fit per astra, non est illicita.

1. d. 15. q.
1. a. 3. ad
4 & 3. cõ
tra cap.
154. cor.
Et Gal. 4
le. 4. co. 2.

¶ 2 Præterea, Scientia humana ex experimentis originem sumit, ut patet per Philosophum * in 1. Metaph. Sed per multa experimenta aliqui compererunt, ex consideratione syderum aliqua futura posse prænosci. Ergo non videtur esse illicitum tali diuinatione uti.

lib 1 c. 1.
nõ longè
à princ.
tom. 3.

¶ 3 Præterea, Diuinitio dicitur esse illicita, in quantum innititur pacto cum dæmonibus inito. Sed hoc non fit in diuinatione, quæ fit per astra, sed solum consideratur dispositio creaturarum Dei. Ergo videtur, quod huiusmodi diuinitio non sit illicita.

SED contra est, quod Aug. dicit in 4. confess. * Illos Planetarios, quos Mathematicos vocant, consuleri non desistebam, quod quasi nullum esset eis sacrificium, & nullæ preces, ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigerentur: quod tamen Christiani & vera pietas repellit & damnat.

li. 4. c. 3.
in princ.
tom. 1.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est *, diuinationi quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio dæmonis, ut hominum animos implicet vanitati, aut falsitati. Vana autem vel falsa opinio utitur, si quis ex consideratione stellarum futura velit præcognoscere, quæ per ea præcognosci non possunt. Est ergo considerandum, quid per cælestium corporum inspectionem de futuris possit præcognosci. Et de his quidem, quæ ex necessitate eueniunt, manifestum est quod per consi-
dera-

4. 1. et 2.

de aitionem stellarū possunt præcognosci, sicut astrologi prænuntiant eclipses futuræ. Circa præcognitionem verò futurorum euentuum ex consideratione stellarum, diuersi diuersa dixerunt. Fuerunt enim, qui dicerent, quòd stellæ potius significant, quàm faciant ea quæ ex earum consideratione prænuntiantur. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Omne enim corporale signum, vel est effectus eius cuius est signum, sicut fumus significat ignem à quo causatur; vel procedit ab eadem causa. & sic dum designat causam, per consequens significat effectum: sicut Iris quandoque significat serenitatem, in quantum causa eius, est causa serenitatis. Non potest autem dici, quòd dispositiones cælestium corporum, & motus, sint effectus futurorum euentuum: nec iterum possunt reduci in aliquam superiorem causam communem, quæ sit corporalis. Possunt autem reduci in vnam causam communem, quæ est providentia diuina. Sed alia ratione disponuntur à diuina providentia motus & situs cælestium corporum, & alia ratione euentus contingentium futurorum: quia illa disponuntur secundum rationem necessitatis, vt semper, & eodem modo proueniant; hæc autem secundum rationem contingentiam, vt variabiliter contingant. Vnde non potest esse, quòd ex inspectione siderum accipiatur præcognito futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus. Duplices autem effectus subtrahuntur causalitati cælestium corporum. Primò quidem omnes effectus per accidens contingentes, siue in rebus humanis, siue in rebus naturalibus: quia vt probatur in 6. Metaphys. ens per accidens, non habet causam, & præcipuè naturalem; cuiusmodi est virtus cælestium corporum: quia quod per accidens fit, neque est ens propriè, neque vnum: sicut quòd lapide cadente fiat terræmotus, vel quòd homine fodiente sepulchrum, inueniatur thesaurus. Hæc enim & huiusmodi non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa. Operatio autem

li. 6. te. 4.
5. & 6.
10. 3.

natura semper terminatur ad aliquid vnum, sicut & procedit ab vno principio, quod est forma rei naturalis. Secundò autem subtrahuntur causalitati celestium corporum actus liberi arbitrij, quod est facultas voluntatis & rationis. Intellectus enim sive ratio, non est corpus nec actus organi corporei, & per consequens nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per Philosophum * in 3. de Anima. Nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream. Vnde impossibile est, quòd corpora caelestia directe imprimant in intellectum, & voluntatem. Hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu: quod Arist. in lib. * de Anima, imponit his qui dicebant, quòd talis voluntas est in hominibus, qualem in die inducit pater virorum deorumque, scilicet sol vel cælum. Vnde corpora caelestia non possunt esse per se causa operationũ liberi arbitrij (possunt tamen ad hoc dispositiue inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporaliũ organorum, quæ inclinant ad humanos actus.) Quia tamen vires sensitivæ obediunt rationi, vt patet per Philosophum in 3. de Anima. & 1. Ethic. * nulla necessitas ex hoc, libero arbitrio imponitur: sed contra inclinationem celestium corporum homo potest per rationem operari. Si quis ergo consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa & vana opinione. Et sic operatio dæmonis se immisceet: vnde erit diuinitio superstitiosa, & illicita. Si verò aliquis vtatur consideratione astrorum, ad præcognoscendum futura, quæ ex caelestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi: non erit illicita diuinitio, nec superstitiosa. Et secundum hoc patet responsio Ad primum.

Ad secundum dicendum, quòd hoc quòd astrologi

Seq. Sec. Vol. ij.

FF ex

li. 3. tex.

42. 10. 2.

li. 2. tex.

150. 10. 2.

li. 1. ethi.

c. vi. 10. 5.

l. 3. de a-

num. tex.

42. et 47.

10m. 2.

ex consideratione astrorum frequenter vera prænuntiant, contingit dupliciter. Vno quidem modo, quia plures hominum passionum corporales sequuntur. Et idem actus eorum disponuntur ut in pluribus, secundum inclinationem celestium corporum. Pauci autem sunt, id est soli sapientes, qui ratione huiusmodi inclinationes moderentur. Et idem astrologi in multis vera prænuntiant, & præcipue in communibus eventibus, qui dependent ex multitudine. Alio modo propter demones se immiscetes. Vnde Aug. 2. super Genes. ad litteram dicit, Fatendum est, quando à mathematicis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanae mentes, patiuntur: quod tamen ad decipiendos homines fit spirituum immundorum, & seductorum operatione, qui quædam vera de temporalibus rebus nosse permittuntur.

li. 7. c. 17.
no procul
à fi. 80. 3.

Eod. cap.
17 in fi.
tom. 3.

Vnde concludit*, Quia propter bono Christiano, siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, & maxime dicentes vera, cauendi sunt, ne consortio demoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

Et per hoc patet responsio Ad tertium.

ARTIC. VI.

Vtrum diuinitio qua fit per somnia, sit illicita?

510
3 cor. c.
34. cor. 5.
6. Et
opus. 25.
s. 4. co. 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod diuinitio qua fit per somnia, non sit illicita. Vni enim instructione diuina non est illicitum. Sed in somnijs homines instruuntur à Deo: dicitur enim Iob 33. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit, scilicet Deus, aures virorum, & erudient eos instruit disciplina. Ergo uti diuinatione, qua est per somnia, non est illicitum.

¶ 2. Præterea, illi qui interpretantur somnia, proprie vtuntur diuinatione somniorum. Sed sancti viri leguntur somnia interpretati: sicut Ioseph est interpretatus somnia pincernæ Pharaonis, & magistri pinto-

piſſorum, vt legitur Gen. 40. & ſomnium Pharaonis, vt legitur Gen. 41. Et Daniel interpretatus eſt ſomnium Regis Babylonis, vt habetur Dan. 2. & 4. Ergo diuina- tio ſomniorum non eſt illicita.

¶ 3 Præterea, Illud quod communiter homines experiuntur, irrationabile eſt negare. Sed omnes experiuntur ſomnia habere aliquam ſignificationem futurorum. Ergo vanum eſt negare ſomnia habere vim diuinationis. Ergo licitum eſt eis intendere.

SED contra eſt, quod dicitur Deut. 18. Non inueniatur in te qui obſeruet ſomnia.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictum eſt *, diuina- tio quæ innititur falſæ opinioni, eſt ſuperſtitioſa & illicita. Idèò conſiderare oportet quid ſit verum circa præcognitionem futurorum de ſomnijs. Sunt autem ſomnia futurorum euentuum quandoque quidem cauſa: puta cum mens alicuius ſolici- ta ex his quæ videt in ſomnijs, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum. Quandoque verò ſomnia ſunt ſigna aliquorum futurorum euentuum, in quan- tum reducuntur ad aliquam cauſam communem ſomnijs & futuris euentibus. Et ſecundum hoc plu- rimum præcognitiones futurorum ex ſomnijs fiunt. Eſt ergo conſiderandum, quæ ſit cauſa ſomniorum, & an poſſit eſſe cauſa futurorum euentuum, vel ea poſſit cognoſcere. Sciendum eſt ergo, quòd ſom- niorum cauſa quandoque quidem eſt interior, quan- doque autem exterior. Interior autem ſomniorum cauſa, eſt duplex. Vna quidem animalis, in quantum ſcilicet ea occurrunt hominis phantaſiæ in dormien- do, circa quæ eius cogitatio & affectio fuit immora- ta in vigilando. Et talis cauſa ſomniorum non eſt cauſa futurorum euentuum: vnde huiusmodi ſomnia per accidens ſe habent ad futuros euentus; & ſi quan- doque ſimul concurrant, erit caſuale. Quandoque verò cauſa intrinſeca ſomniorum eſt corporalis. Nam ex interiori diſpoſitione corporis formatur aliquis mo- tus in phantaſia, conueniens tali diſpoſitioni: ſicut ho-

47. 2. et 3

mini in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somnijs, quòd fit vel in aqua vel in niue. Et propter hoc medici dicunt esse intendendum somnijs, ad cognoscendum interiores dispositiones. Causa autem somniorum exterior, similiter etiam est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis. Corporalis quidem, in quantum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione cælestis corporis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cælestium dispositioni. Spiritualis autem causa est quandoque quidem à Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus reuelat in somnijs, secundum illud Numer. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Quandoque verò operatione demonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura reuelant his qui cum eis habent pacta illicita. Sic ergo dicendum, quòd si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura, secundum quod somnia procedunt ex reuelatione diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca, quantum potest se virtus talis causæ extendere: non erit illicita diuinitio. Si autem huiusmodi diuinitio causetur ex reuelatione demonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur; vel tacita, quia huiusmodi diuinitio extenditur ad quod se non potest extendere: erit diuinitio illicita & superstitiosa.

Et per hoc patet responsio Ad obiecta.

ARTIC. VII.

¶ III

3. cont. c.
154 co 5.
¶ 6. Et
epist. 25. c.
3. ¶ 5. c.
2. et 1. sa.
2. co. 2. co-
lon 2. pr.

Varum diuinitio, quæ fit per auguria & omina, & alias huiusmodi obseruationes exteriorum rerum, sit illicita?

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quòd diuinitio quæ fit per auguria, & omina, & alias huiusmodi obseruationes exteriorum rerum, non sit illicita. Si enim esset illicita, sancti viri ea non vterentur. Sed de Ioseph legitur quòd augurijs in-

ten-

tendebat. Legitur enim Genes. 44. quod dispensator Ioseph dixit, Scyphum quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet. Et ipse postea dixit fratribus suis, An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Ergo uti tali diuinatione non est illicitum.

¶ 2 Præterea, Aues aliqua circa futuros euentus temporum naturaliter cognoscunt, secundum illud Hierem. 8. Miluus in caelo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Sed naturalis cognitio est infallibilis, & à Deo. Ergo uti cognitione auium ad præcognoscendum futura, quod est augurari, non videtur esse illicitum.

¶ 3 Præterea, Gedeon in numero sanctorum ponitur, ut patet ad Hebr. 11. Sed Gedeon vsus fuit omne, ex hoc quod audiuit recitationem & interpretationem cuiusdam somnij, ut Iu. ii. 7. dicitur. Similiter Eliezer seruus Abrahæ, ut legitur Genes. 24. Ergo videtur, quod talis diuinatione non sit illicita.

SED contra est, quod dicitur Deut. 18. Non inueniatur in te qui obseruet auguria.

RESPONDEO dicendum, quod motus vel garritus auium, vel quæcumque dispositiones in huiusmodi rebus considerata, manifestum est quod non sunt causa futurorum euentuum: unde ex eis futura cognosci non possunt sicut ex causis. Relinquitur ergo, quod si ex eis aliqua futura cognoscantur, hoc erit in quantum sunt effectus aliquarum causarum, quæ etiam sunt causantes vel præcognoscentes futuros euentus. Causa autem operationum brutorum animalium est instinctus quidam, quo mouentur motu naturæ: non enim habent dominium sui actus. Hic autem instinctus potest ex duplici causa procedere. Vno quidem modo, ex causa corporali. Cum enim bruta animalia non habeant nisi animam sensitiuam, cuius omnes potentie sunt actus corporalium organorum, subiacet eorum anima dispositioni conti-

mentium corporum, & primordialiter cælestium. Et ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes esse, futurorum signa, in quantum conformantur dispositionibus corporum cælestium, & aeris continentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus. In hoc tamen duo considerari oportet. Primum quidem, ut operationes huiusmodi non extendantur, nisi ad præcognoscenda futura, quæ causantur per motus cælestium corporum, ut supra dictum est*. Secundo, ut non extendantur nisi ad ea quæ aliquo modo possunt ad huiusmodi animalia pertinere. Consequuntur enim per cælestia corpora cognitionem quandam naturalem, & instinctum ad ea quæ eorum vitæ sunt necessaria: sicut sunt immutationes, quæ fiunt per pluuias & ventos, & alia huiusmodi. Alio modo, instinctus huiusmodi causantur ex causa spiritali, scilicet vel ex Deo, ut patet in columba super Christum descendente, & in coruo qui pauit Heliam, & in cetæ qui absorbit & eiecit Ionam. Vel etiam ex demonibus, qui utuntur huiusmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus. Et eadem ratio videtur esse de omnibus alijs huiusmodi, præterquam de omnibus: quia verba humana, quæ accipiuntur pro omine, non subduntur dispositioni stellarum; disponuntur tamen secundum diuinam prouidentiam, & quandoque secundum dæmonum operationem. Sic ergo dicendum, quod omnis huiusmodi diuinitio, si extendatur ultra illud ad quod potest pertinere secundum ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentię, est superfluitiosa & illicita.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod Ioseph dixit, non esse aliquem sibi similem in scientia augurandi, secundum Aug.* ioco dixit, non seriò: referens fortè hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur. Et sic etiam dispensator eius locutus est.

Ad secundum dicendum; quod illa auctoritas loquitur de cognitione animi, respectu eorum quæ ad

cas

eas pertinent. Et ad hæc præcognoscenda considerare earum voces & motus non est illicitum: puta, si quis ex hoc, quod cornicula frequenter crocitat, prædicat pluuiam citò esse futuram.

Ad tertium dicendum, quod Gedeon obseruauit recitationem & expositionem somnij, accipiens ea proomine, quasi ordinata ad sui instructionem à diuina prouidencia. Et similiter Eliezer attendit verba puella, oratione præmissa ad Deum.

ARTIC. VIII.

Vtrum diuinitio sortium sit illicita?

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod diuinitio sortium non sit illicita. Quia super illud Psalmi trigesimali, In manibus tuis sortes meæ: dicit gloss. * Augustini, Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem.

¶ 2 Præterea, Ea quæ à sanctis in scripturis obseruata leguntur, non videntur esse illicita. Sed sancti viri tam in veteri quam in nouo testamento, inueniuntur sortibus vsi esse. Legitur enim Ios. 7. quod Iosue ex præcepto Domini, iudicio sortium punitur Achan, qui de anathemate surripuerat. Saul etiam sorte deprehendit filium suum Ionatham mel comedisse, ut habetur 1. Reg. 14. Ionas etiam à facie Domini fugiens, sorte deprehensus est, & in mare deiectus, ut legitur Ionæ 1. Zacharias etiam sorte exijt ut incensum poneret, ut legitur Luca 1. Matthias etiam est sorte ab Apostolis in Apostolatam electus, ut legitur Act. 1. Ergo videtur, quod diuinitio sortium non sit illicita.

¶ 3 Præterea, Pugna pugilum, quæ Monomachia dicitur, id est singularis concertatio; & iudicia ignis & aquæ, quæ dicuntur vulgaria, videntur ad sortes pertinere: quia per huiusmodi aliqua exquiruntur occulta. Sed huiusmodi non videntur esse illicita: quia & Dauid cum Philistæo singulare inisse certamen legitur, ut habetur 1. Regum 17.

¶ 4 Ergo

512

2. cont. c.
154 co. 5.
Op. 6. Et
opu. 25 c.
4 et 5. Et
Eph. 1. le.
4 co. 2. fi.
Aug. in
Ps 30. cō-
cio. 2. de
med. Ps.
declinan-
do ad fi.
tom. 8.

Ergo videtur, quod diuinitio sortium non sit illicita.

26. q. 5. c.
Sortes.

SED contra est, quod in Decret. 26. q. 5. * dicitur, Sortes, quibus cuncta vos in vestris discriminatis iudicijs, quas Patres damnauerunt, nihil aliud quam diuinationes, & maleficia decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & vltra inter Christianos nolumus nominari: & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.

27. 3. hinc
26. q.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, sortes proprie dicuntur, cum aliquid sit, vt eius euentu considerato, aliquid occultum innotescat. Et quidem si queratur iudicio sortium, quid cui sit exhibendum, siue illud sit res possessa, siue sit honor, seu dignitas, seu poena, aut actio aliqua: vocatur fors diuisoria. Si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur fors consultoria. Si vero queratur quid sit futurum, vocatur fors diuinatoria. Actus autem hominum, qui requiruntur ad sortes, non subduntur dispositioni stellarum, nec etiam euentus ipsorum. Vnde si quis ea intentione sortibus utatur, quasi huiusmodi actus humani, qui requiruntur ad sortes, secundum dispositionem stellarum fortiantur effectum: vana & falsa est opinio, & per consequens non carens demonum ingestione, ex quo talis diuinitio erit superstitiosa, & illicita. Hac autem causa remota, necesse est, quod sortium actuum expectetur euentus, vel ex fortuna, vel ex aliqua spiritali causa dirigente. Et siquidem ex fortuna, quod locum habere potest solum in diuisoria sorte, non videtur habere nisi forte vitium vanitatis: sicut si aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, velint sortibus ad diuisionem uti, quasi fortuna exponentes quis quam partem accipiat. Si vero ex spiritali causa expectetur sortium iudicium, quandoque quidem expectatur ex demonibus: sicut legitur Ezechielis 21. quod Rex Babylonis stetit in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem querens, commi-

scens

scens sagittas interrogavit idola, & exta consuluit: & tales sortes sunt illicitæ, & secundum canones prohibentur. Quandoque verò expectatur à Deo, secundum illud Prouer. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur: & talis fors secundum se non est malum, vt Aug. * dicit. Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primò quidem, si absque vlla necessitate ad sortes recurratur: hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. Vnde Ambr. dicit † super Lucam, Qui sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. Secundo, si quis etiam in necessitate absque reuerentia Dei sortibus vtatur. Vnde super Actus Apostolorum dicit * Beda, Sed si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus, exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum suis egisse. Tertio, si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. Vnde Aug. * dicit ad inquisitiones Ianuarij, His qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum sit, vt id potius faciant, quàm vt ad dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo ad negotia secularia, & ad vitæ huius vanitatem, diuina oracula velle conuertere. Quarto, si in electionibus ecclesiasticis, quæ ex Spiritus sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur. Vnde sicut Beda dicit * super Actus Apostolorum, Matthias ante Pentecosten ordinatus sorte queritur: quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus sancti in Ecclesia effusa. Septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati. Secus autem est in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrena disponenda ordinantur: in quarum electione plerumque homines sortibus vtuntur, sicut & in temporalium rerum diuisione. Si verò necessitas immineat, licitum est cum debita reuerentia sortibus diuinum iudicium implorare. Vnde Augustin. dicit in epistola * ad Honoratum, Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum per-

Loco cit. in arg. 1.

*c. 1. in ti. de ingres su Zacharia in templū, ante me 10. 5. * Bed. in fi. comm. ad 1. cap. Act. 10. 2. * Ep. 119 ca. 20. in fi. 10. 2.*

In fi. comment. ad c. 1. Act. Ap. 10. 2.

Epi. 180. inter me & fi. 10. 2.

CULIO-

l. 1. c. 28.
10. 3.

cutionis tempore maneat, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deferatur ecclesie: si hæc disceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneat, & qui fugiant, forte legendi sunt. Et in primo de doctrina Christi. * dicit, Si tibi abundaret aliquid quod oporteret dari ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentis, vel erga te aliqua necessitudine superare: nihil iustius faceret, quam ut forte eligeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset.

Et per hoc patet responsio Ad primum & secundum.

Ad tertium dicendum, quod iudicium ferri candentis, vel aquæ feruentis, ordinatur quidem ad aliquis peccati occulti inquisitionem per aliquid, quod ab homine fit: & in hoc conuenit cum sortibus. In quantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit communem sortium rationem. Unde huiusmodi iudicium illicitum redditur: tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ diuino iudicio referuntur: tum etiam quia huiusmodi iudicium non est auctoritate diuina sancitum. Unde 2. q. 4. in Decreto * Stephani Papæ dicitur, Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent canones. Et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessio, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, concessa sunt nostro regimini iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. Et eadem ratio videtur esse de lege duellorum, nisi quod plus accedit ad communem rationem sortium, in quantum non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi forte quando pugiles sunt valde impares virtute, vel arte.

e. Consultuisti: ante med.